Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3343
Quelle:
Copyright:

XVII. *fol.* 286. Tractatiuncula sine inscriptione pro afferenda Conciliorum autoritate. Initium: *Ad ostendendum quod concilium generale in spiritu sancto legittime congregatum vniuersalem ecclesiam representans claues a christo ligandi atque soluendi acceperit, patebit ex sacrorum conciliorum ac sanctorum doctorum auctoritatibus* &c. Quae deinceps adducuntur.

XVIII. *fol.* 288. rubro: *Litera pro testimonio illis, qui soluerunt*, i. e. pro indulgentiis a Synodo *Basil.* concessis. Tenor est sequens: *Universis presentes literas inspecturis. Ego N. a sacra Bas. Sinodo ad excommunicationem* (executionem) *indulgentiarum per ipsam sinodum concessarum in tota prouincia Basilien. constitutus tenore presentium notum facio, quod petrus Johannis laicus Ciuis Salczburgen. die prima presentis mensis prout in sua conscientia asseruit, contribuit ad predictum opus reductionis* (terrarum ab Infidelibus occupatarum) *et in trunco in ecclesia Salczburgen. ordinato reposuit — Quapropter quicunque sacerdos secularis uel regularis alias discretus, quem in confessorem elegerit, eidem petenti semel in mortis articulo et semel in uita ab omnibus peccatis et censuris ecclesiasticis plene absoluendi et alia faciendi facultatem habebit* &c. Subjungitur duplex *absolutionis* formula pro *Laicis* et *Clericis*, ratioque *poenitentiae*, ut dicitur, injungendae. Ex hujusmodi *Literis* natam puto adsertionem, quod olim peccatorum in futurum committendorum in ecclesia *Romana* data sit venia.

XIX. *fol.* 288. p. 2. Oratio inscripta: *Ambasiatorum Concilij Basilien. ad papam.* Incipit: *Si in medio magnatorum loqui presumendum non sit Pater beatissime* &c. Extat in *Mansii Suppl. Concil.* T. IV. *col.* 1158. adsignata anno 1435.

XX. *fol.* 291. p. 2. Alia Eorundem inscripta: *Item sequitur alia materia de eodem.* Initium: *Beatissime pater, exigeret presentia vestre sanctitatis in primo dicendorum alloquio* &c. Extat unacum responso *Eugenii* subsignato a *Poggio Florent.* ejus Secretario T. XVII. *Labb. col.* 649. T. VIII. *Harduin. col.* 1505. utrinque adtributa *Johanni de Bachenstein*, Archidiac. *Zagrabiensi*, qui Collegam habuit *Matthaeum Mesnaige*. Unde miror *Mansium*, qui illam rursum *Suppl.* T. IV. *col.* 1163. inseruit.

XXI. *fol.* 295. Epistolae III. Legatis hisce *Basileensium* in viam datae. *Prima Eugenii* Papae, qua Concilium ad ea remittit, quae hi Legati nunciaturi sunt: *Venientes ad nos dilecti filij Johannes de Bachensteen decretorum et magister matheus meisnage magister in artibus ac baccallarius in Theologia* &c. *Data florencie Anno incarnationis dominice M°. CCCC°. XXXV.to Idus Augusti pontificatus nostri anno quinto. Jo. de Steccotis. Altera* Collegii *Cardinalium*, qua excusant tardiorem Legatorum reditum ob cumu-